





nr. 3 fehlt in der Zählung

6

1767 3/

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
DECANVS
ORDINARIVS ET SENIOR
ERNESTVS MARTINVS
CHLADENIVS D
LECTORI BENEVOLO
S A L V T E M



ORDINIS IURIDICI
ACADEMIAE VITIMBERGENSIS
DECANVS
ORDINARIVS ET SENIOR
ERNESTVS MARTINVS
CHLADENIVS D.

PROFESSORIS
SALVEM





PERTINET utique ad officia SVBDITORVM, reuerenter habere iudicium. Sed aequè pertinet ad officium IVDICIS, ut ipse reuerentiam suo iudicio non modo conciliet, conciliatamque seruet et defendat, sed etiam, quantum in ipso fitum, augeat. At quo pacto hoc efficiet? An TORVO, et ad terrendum aduentem quemque, composito VVLTV, qualem in iudice desiderat auctor iuris Susatensis, hac formula: *Der Richter soll sitzen auf dem Richterstuhl als ein grißgrimmender Löwe, und den rechten Fuß schlagen über den linken.* Certe uix est, quin aduentium RISVM magis, quam REVERENTIAM, excitaturus sit, qui iudicis huius Susatici for-



mam affectare uelit. ^a An SEVERITATE et decretorum
 RIGORE, quali quondam auctoritatem suam propagarunt
 iudices Vehmici? Ita quidem TERROR, sed non RE-
 VERENTIAE SENSVM, animis subditorum incutiet.
 Hoc suo experimento comprobavit iudicium Vehmicum,
 quod hac praefertim re posteris est memorabile, quod fue-
 rit HOMINVM TERROR. ^b An externo SPLENDORE,
 quo facile stupet uulgus? Etiam hic, nisi comitem ha-
 beat VIRTUTEM IUDICIS, nihil ad excitandam reueren-
 tiam proficiet, imo fallet tantum, quantum a STVPORE

VVLGI

- ^a) Benignus Iuris Susatici interpretis est IO. GOTTLIEB HEINEC-
 CIUS in Praef. ad Elem. Iur. German. pag. 28. edit. de anno 1736.
 cum ait: *Sed et quae ex Iure Susatensi adferunt, ea partim seuerita-
 tem potius maiorum, quam imprudentiam, arguunt, partim ita com-
 parata sunt, ut potius laudanda, quam ridenda, uideantur. Com-
 mendare enim Susatenses iudicibus uoluerunt πᾶρρησία, religionem-
 que illo officio dignam, ac proinde eos sublimes in tribunali sedere
 iusserunt, uultu totiusque corporis habitu ad grauitatem composito.*
- ^b) Apparatum terribilis huius iudicii describunt IVST. GEORG.
 SCHOTTELIVS de singularibus et antiquis in Germania Iuribus
 Cap. 29. et IO. WERN. GERIKEN in SCHOTTELIO illustrato
 cap. eod. alique, qui ab his allegantur.

MARI

VVLGI distat REVERENTIA subditorum. *Vt maxime enim, quod elegantissime dixit CASPAR ZIEGLERVS, c in excelsissimo tribunali iudex collocatus fuerit, et uirgas, et fasces, et trabas ostendet, nisi ipse etiam EXEMPLAR VIRI BONI referat, et VIRTUTE emineat sua, multum decedet AVCTORITATI eius et INTEGRITATI ipsius IUDICII.* An tandem FAMILIARITATE? Hoc eo magis uideri poterat, quo certius est, inter ornamenta iudicis hoc praecipuum esse, si cuique aduenti facilem et obuium se praestet. Sed arbiter sit CALISTRATVS: d *Observandum est ius reddenti, ut in adeundo facilem quidem se praebeat, sed contemni non patiatur, unde mandatis adiicitur, ne praesides prouinciarum in ulteriorem FAMILIARITATEM prouinciales admittant, nam ex conuersatione aequali CONTEMPTIO DIGNITATIS nascitur.* Quid ergo? si nec familiaritas, nec splendor externus, nec seueritas, nec forma terribilis, iudicem praestet uenerabilem, quo tandem artificio ille explebit officium suum? Nempe, TULI-

c) CASP. ZIEGLERVS *Dicaſt. Diff. praelim. §. 7.*

d) *L. 19. pr. D. de Off. Praef.*

LIO teste, ^e proprium est munus magistratus, intelligere, se gerere personam dignitatis, debereque eius DIGNITATEM ET DECUS SVSTINERE. Artificium explicant CALLISTRATVS ^f et VLPIANVS. ^g Ille ait: Summatim ita ius reddi debet, ut auctoritatem dignitatis INGENIO SVO AVGEAT. Hic vero, patientem, inquit, esse oportet Proconsulem, sed CVM INGENIO, ne contemibilis uideatur. ^h Igitur INGENIO iudex reuerentiam non modo tueri, sed etiam augere debet, et, quanto nobiliori quisque praestat ingenio, tanto facilius reuerentiae sensum excitabit apud omnes, qui eius imperio parent. Vti enim, quod alibi copiosius dixi, ⁱ per se tanta uis est praestantioris ingenii, ut in cultum et uenerationem sui omnes trahat et rapiat, ita fructus hic praesertim obtinget iudici, cui INGENIUM obtigit, EX SE FERTILE. Quicquid ipsi agendum, aget caute, prudenter,

tanque

e) CICERO de Offic. Lib. I. cap. 34.

f) L. 19. §. 1. D. de Off. Praef.

g) L. 7. §. 2. D. de Off. Proconsf.

h) Vtramque hanc legem illustrat GODOFR. MASCOVIUS in Epistola: de Ingenio Iudicis.

i) In Tract. de Ambitu Iurisprudenciac elegantioris §. 19. et 20.

tamque decoro, ut corporis, ita praecipue animi morum-
 que habitu, ut subditorum ueneratio ipsi deesse non possit,
 si non omnium, tamen eorum, qui *BONI* sunt. *MALOS*
 enim, quibus ipsa uirtus sordet, nec *IUDICIS* uirtus exci-
 tabit ad reuerentiam. Quibus uero armis contra hos au-
 ctoritatem suam iudex defendet? Iterum dicat *VLPIA-*
NVS:^k *Omnibus magistratibus secundum ius potestatis suae*
concessum est, iurisdictionem suam defendere *POENALI IY-*
DICIO. *POENIS* igitur, si *VIRTUTE* nequeat, dignitatem
 suam tuebitur.

AT hoc ipsum, quod dixi, iudicem immemores re-
 uerentiae poenis coercere posse, delicatum est argumen-
 tum. Quamuis enim in foro obtineat et non modo Dica-
 steriorum consensu,^a sed etiam utriusque iuris auctorida-
 te,

k) *L. un. pr. D. Si quis ius dicenti non obtemp.*

a) Conf. *LYNCKER Decif. len. 185. et 755.* praesertim his uerbis: *über-*
dieses eines Regierung billig nachzulassen, daß dieselbe ihre Auctori-
tät selbst wieder einen Frevler vertbeidige. Teste *MEVIO Part. VI.*
Decif. 343. nec non *Part. IX. Decif. 108. et m.* eadem sententia ob-
 tinuit in *Tribunali Wismariensi*, et teste *LEXSERO Medit. ad*
Pand. Spec. 68. med. 6. et 7. eandem defenderunt *IVRECONSULTI*
 HELM-

te,^b firmetur, criminis laesae reuerentiae fori iudicem esse IPSVM IUDICEM, cuius auctoritas laesa est, tamen reclamare uidetur tum ipsius VLPIANI^c doctrina, *iniquum esse aliquem SVAE REI iudicem fieri*, tum etiam Constitutio IMPERATORVM,^d qua sancitum, neminem SIBI ESSE IUDICEM, uel ius SIBI dicere debere, cum in RE PROPRIA iniquum admodum sit, alicui licentiam tribuere sententiae. Facile igitur quis dubitabit, an iudex, si quid in fraudem reuerentiae, ei debitae, factum, ipse cognoscere et in reum animaduertere possit, et quidem subinde dubitari solet ab iis, qui condemnatos ob crimen laesae reuerentiae fori defendunt. Confidunt hoc defensionis momento, quod nemo SIBI IPSI ius dicere, uel in PROPRIA CAUSA iudicare possit. Sed plerumque successu inani. Nam iudex, qui iniuriam sibi, non ut PRIVATO, sed ut IUDICI et in officio,

HELMSTADIENSES. Huc quoque pertinet Responsum IVRE-CONSULTORVM VITENBERGENSIUM, quod recenset BERGERVS *Supplem. ad Elect. Crimin. Part. II. Obs. 85.*

b) L. un. pr. D. si quis ius dicenti non obr. et c. i. de poenis, in 6.

c) L. 17. D. de Iudiciis.

d) L. un. C. ne quis in sua causa iud.

officio, praesertim pro tribunali, illatam, uindicat, dignitatemque, quam sustinet, poenis defendit, non SVAM, nec PROPRIAM causam agit, sed causam PRINCIPIS sui, uel REIPUBLICAE, cuius auctoritate ille gerit magistratus officium, defendit. Inde etiam fit, ut successori in magistratus officio denegari nequeat potestas uindicandi iniuriam, antecessori, intuitu officii illatam, etiamsi alias iniuriae uindicta ad successorem non transeat. Hinc, teste LYNCKERO,^e Iureconsulti Ienenses responderunt: *Es ist wohl ausser Zweifel, daß ein Successor in officio, wieder Rath, wenn einige davon, oder die Vornemsten gewechselt oder gestorben, eine Actionem iniuriarum fortstellen kann, weil DAS AMT geschimpfet worden, es ist auch solche prosecutio successorum in officio allerdings fauorabilis, quia respicit ad contemptum magistratus auertendum, und gar nicht odiosa.* Dissimulari tamen nequit, interdum iudici, quamuis de iniuria sibi illata queratur, recte denegari facultatem iudicandi. Hoc quidem fit, si magis ut PRIVATVS, quam INTVITV OFFICII, laesus

b

est,

^e) LYNCKER Centur. IV. Resol. 385.

est, id quod in dubio praesumendum esse censet, MYLE-
 RVS AB EHRENBACH.^f Sic quoque tunc, cum iudex
 ut suspectus recusatur, et primum dispiciendum, utrum
 iure, an iniuria, recusetur, cognitio non ad ipsum IVDI-
 CEM RECUSATVM pertinet, sed ad IUDICEM SVPE-
 RIOREM. Accurate pronunciatum aliquando fuit: *So
 mag bey dieser Beschaffenheit der Iudex inferior, da der-
 selbe solchergestalt, ob formam publicam, ut uidetur, negle-
 ctam, nicht publicam causam, sondern propriam und priua-
 tam treiben wüürde, darüber nicht richten, noch denjenigen,
 der die Sache instruiet und ad superiorem gebracht hat,
 zur Inquisition ziehen, cum nec iudex suspecti postulatus de
 suspitione cognoscere ipse possit, et multo minus, quando sen-
 tentiam latam dolo aut culpa tulisse fertur, ut contra eum iu-
 dicium Syndicatus fundatum esse dicatur, sondern es hat die
 Herrschaft allerdings Ursache, die Bevandniss dieser Sa-
 che auf das genaueste untersuchen zu lassen. Deinde etiam
 eo casu iudici denegatur cognitio, si iniuria, quam uindi-
 caturus*

f) MYLEVS AB EHRENBACH Hyparchol. cap. VIII. §. 42.

g) LYNCKER Centur. II. Resol. 148.

caturus est, coram iudice SUPERIORE prolata. Tunc enim ab illo adeundus est SUPERIOR, quia ibi forum delicti. Fufius tractavit hoc argumentum BERLICHIVS, ^b itemque LEYSERVS, ⁱ quo teste responsum fuit: *Es waere denn, daß der Advocat solche Schrift nicht bey dem Rathe selbst, sondern bey dem Iudice superiore übergeben, auf welchem Fall die Vindication derer darinnen entbaltenen Injurien bey selbigen Iudicio, als dem loco delicti, gesuchet werden müßte.* Hos nimirum casus si exceperis, stat regula, iudicem, cuius dignitas laeditur, ipsum esse competentem temeritatis huius uindicem, et reuerentiae, suo tribunali debitae, legitimum assertorem, eousque quidem, ut non modo in eos, qui iurisdictioni eius ordinarie sub sunt, sed etiam in FORENSES, ^k laesae reuerentiae fori reos, animaduerrere possit. Hanc tamen doctrinam in Sa-

b 2

xonia

b) BERLICHIVS Part. II. Decif. 181.

i) LEYSER Medit. ad Pand. Spec. 68. med. 8.

k) Testes huius doctrinae sunt, eandemque Dicasteriorum responsis corroborant MEVIUS Part. V. Decif. 373. et 374. et LYNCKER Centur. VIII. Decif. 755. itemque Centur. II. Resol. 176. ubi pronunciatum esse meminit, *daß derjenige, sowohl Principal als Advocat, welcher CONTRA REVERENTIAM iudicio debitam entweder seinen Gegen-*



xonia aliquantum temperavit DECISIO ELECTORALIS
LXXXIX. cui consentaneum est RESCRIPTVM REGI-
VM, cuius tenorem WERNHERVS recenset. ¹

Sed copiosius de REVERENTIA FORI in publica pane-
gyri, quae proximo D. IV. Iunii habebitur, me quidem Prae-
fide, differet Clarissimus CANDIDATVS, CHRISTIANVS
FRIDERICVS GAUDICHIVS, Aduocatus Dresdensis, qui
nuper ab Ordine nostro summos in Iure honores modeste pe-
tiit, moxque ad consueta examina admissus, talem se praesti-
tit, ut merito decretum sit, eum, praestito specimine inau-
gurali, dignitate Doctorali condecorandum esse. Vitae ra-
tionem, quam is hactenus cum laude secutus est, expo-
nat ipse:

Natus

*zheil, oder dessen Beystand, so auch den Richter, oder eine dem Ge-
richte verwandte Person, in wahrenden Rechts Streit vor Gerichte in
solcher Sache, oder darenthalben, mundlich oder schriftlich schmaebet
oder beschimpft, deswegen auch finita causa, ob er schon ein FORENSIS,
in solchem Gerichte dem Geschmaebten zu Recht stehen muisse, inson-
derheit was den Richter belanget, qui nec eo modo in causa propria
iudicaturus, SED HONOREM IVDICII uindicaturus. Add. WILDVO-
GELIVS Respons. 287. num. 9. sequ. ubi, nec CLERICVM, qui FORI
SECVLARIS reuerentiam uiolauit, PRIVILEGIO FORI excusa-
ri, defenditur.*

1) WERNHER. *Obs. For. Part. X. Obs. 428.*

Natus sum Pirnae, non procul Dresda, Bobemiam uersus, die VII. Iulii MDCCXIV. Patre usus sum diligenti, IOHANNE CHRISTIANO GAUDICHIO, qui praetor urbanus in hoc oppido claruit, et propter causas, quas generosissimorum hominum, qui agrum propinquum incolebant, egerat nomine, non minimam sui famam reliquit, ex uxore autem hic me suscepit CHRISTIANA DOROTHEA WILISCHIA, cuius pater M. CHRISTIANVS WILISCH, Liebstadii gregis fidelium sacris curandis pastor praefuit.

Literarum rudimenta et sacrorum, in Ludo literario patriae mature didici, Magistris, qui in eo merebant, GRVZNERO, HEKELIO. In disciplinam deinde ad huc traditus sum M. SAMVELIS GAUDERI, qui Altenbergae ludi literarii Rectoris partes agebat, mibique propinquitate erat coniunctus. Abs quo per triennium cum eruditus essem, ita ut in ampliore literarum spatio exerceri posse uiderer, Fribergam adii; ibique publice institutus sum a Magistris, MVLLERO, HASSIO et LVTHERO.

Postea curiae Pirnensis opera receptus sum in ludo principalis munificentiae, Misniae; meruique in

*eo annis fere sex; doctrinis usus sum MARTII, SIL-
LIGII, GRABNERI, KAVDERBACHII ET KLIM-
MII; magistrorum, quorum omnium in me fidem sin-
gularem ac diligentiam, nunquam satis praedi-
care possum. Lipsiam deinde concessi, ibidemque
Rectore IOHANNE ERHARDO KAP-
PIO d. IX. Iun. MDCCXXXIV. numero
civium Academicorum adscriptus sum. Sapien-
tiae professores sectatus sum MÜLLERVM, MEN-
ZIVM et GOTTSCHEDIVM; iuris autem civilis
discendi causa Doctores frequenter adii, BAVERVM,
FEVSTELIVM, RIVINVM, KAESTNERVM.*

*Ordo postea Iureconsultorum, qui Lipsiae con-
tinetur splendidissimus, Notarii munus benigni-
ter mihi concessit; sub abitum fere, quem anno
MDCCXXXVII. paravam, libellum de septiduo
in foro electorali Saxonico conscripsi et moderante
KAESTNERO palam defendi; ac periculum mei, ut
cognoscerent, quantum in omni doctrina iuris profe-
cerim, cum Confessus ille Iureconsultorum amplissimus
fecisset, ad causas agendas idoneus sum habitus; ita-
que postquam et specimen causarum agendarum Cu-
riae*

riae Dresdensi, quae a regundis terris nomen habet, approbaueram, inter causarum patronos receptus sum. Tum euenit, quod mihi gratum atque iucundum erat, ut a GUSTAVO FRIDERICO PAKVVSCHIO, qui in agro Molibergensi iuri dicundo tunc erat praefectus, ad referendas causas socius, quem Actuarium uulgo appellant, assumerer; quo in munere mihi occasionem datam esse cognoscebam, id quod auditione acceperam, magis magisque usu confirmandi, ad quod plurimum tribuisse, gratiosissimo animo confiteor, fidem ac diligentiam, qua ad modum singulari usum, modo laudati PAKVVSCHII; quo mortuo etiam eius prouincia a potentissimo Polonorum Rege AVGVSTO III. clementissime mihi mandata fuit. Cum autem per duodecim annos administrauissem illam; Dresdam commigraui, et in perorandis Clientum causis, haud infelici successu, officio meo praefui; iterumque Serenissimi Regis Clementiam expertus sum maximam, munere mihi nempe concesso, ut coram Summo iudicio, ad quod prouocari solet, pauperum Causas agerem. Accessit insuper et haec fortuna, ut GENEROSISSIMA FAMILIA COMITVM et BARONVM
FRI-



FRISIORVM, quae Dynastiam, quam dicere solemus Königsbrük, agrumque Schoenfeld, praeter alias Terras, possidet, iuri dicundo illis in Terris praefectus sim; nunc uero quibusdam causis adductus, ab Illustri Ictorum ordine, qui³ Academiam Vitebergensem ornat, quanta fieri potuit, humanitate petii, ut mihi indulgentissime, quem ad modum solet, summos in utroque iure honores conferre uelit; id quod felix, faustum, fortunatumque sit.

Quo luculentius patet, uariis meritis commendabilem esse Clarissimum CANDIDATVM, tanto fidentius spero, VESTRAM, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PATRES CONSCRIPTI, OMNIUM ORDINUM DOCTORES et ASSESSORES, nec non GENEROSISSIMI atque NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, VESTRAM, inquam, beneuolentiam ipsi, in Cathedra agenti, sponte paratam fore. Ne uero officio meo deesse uidear, perofficiose uos rogo, ut publicum hunc actum honorifica VESTRA praesentia et VESTRO fauore celebriorem efficiatis. Certe nunquam fiet, ut memoriam insignis huius beneficii deposuisse dicar. P. P. Dom. Exaudi A. R. S. c1o1o cclxvii.

V I T E M B E R G A E
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS

ULB Halle

3

005 361 745





nr. 3 fehlt in der Zählung

1767 3

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
DECANVS
ORDINARIVS ET SENIOR
ERNESTVS MARTINVS
CHLADENIVS D
LECTORI BENEVOLO
SALVTEM